
A1-9

Texty skupiny A.

A1

Abbatia

Canoniae Praemonstatensium

Neoříšii Neoříšii, die 1. Januarii 1940

N[umerum] ex[hibitum] 18/40

Res: Hermanus Jos Tyl

Collatio Ordinum maiorum

Accl[amatio] Litterae dimissoriae

Ad normam can[onis] 964 § 2 et can[onis] 995 C[odex] I[uris] C[anonici] qua Superior maior Abbatiae ordinis Praemonstratensis Neoříšii testamur:

Religiosum fr[atrem] Hermanum Jos[ephum] Tyl, clericum, sollemniter professum et studiosum [quarti] anni s[acrae] Theologiae in episc[opalij] Instituto theologico Brunensi -- natum 31. [Julii] 1914 in pago Cakov, parochia Vilemov archidioecesis[is] Olomucensis --- confirmatum 2. [Junii] 1925 Olomucii - - simpliciter (=simpliciter) professum 10. Octob[rii] 1936 -- tonsuram die 23. Sept[embrij] 1937

I. ordines minores /ostiar[ij] et lector[is]/ die 11. Julii 1938

II. ordines minores /exorcistae et acolyt[i]/ die 16. Julii 1938

ab infrascripto suscepisse --- sollemniter profesus die 6. Januarii 1940 et familiae domus religiosae nobis subditae adscriptum, nullo impedimento affectum ideoque ad s[anctos] Ordines maiores suscipiendos amitti posse.

Dim<m>ittimus et enixe rogamus, ut Excellentia Vestra supra dicto clero sol[lemniter] professo s[anctos] Ordines maiores: Subdiaconatum, Diaconatum, Presbyteratum ad titulum paupertatis benigne conferre dignetur.

Paulus Souček

abbas

A2

Excellentissimus,

Illusterrimus ac Reverendissimus

Th[eologiae] D[octo]r Hubertus Noots

Dominus Praemonstratensis et totius ordinis

caput et generalis

Romae.

Infrascriptus propter moestissimum statum canoniae Teplá, hoc tempore sub regimine r[everendi] d[omi]ni prioris Hermanni Tyl, canonici neoříšensis – ex incapacitate hujus ipsius in rebus temporalibus gerendis progredientem – ruinam prorsus totius fabricae canoniae timens R[everendissimum] D[ominum] vicarium generalem, abbatem suum, remedium curare obsecravit.

Cui, qui libenter hoc facere conatus est, supradictus prior non tantum non oboedire, sed etiam resistere coepit ad forum civile refugiens, r[everendo] d[omi]no d[octo]re Žurek suadente et inspirante.

Qua de causa infrascriptus Excellentissimum Dominum Praemonstratensem remedii curandi causa humillime petit in persona vel per deputatum – non autem circariae nostrae adscriptum – visitationem et quidem non tantum in temporalibus, sed etiam in spiritualibus instituere.

In consignatione adjuncta:

1. aes alienum (debita) canoniae in spatio unius tantum anni sub regimine Hermanni prioris in summa Kčs 9.935.230,75,

2. adhuc expensae prioratus " 64.531,-

3. et conventus cum juvenatu " 1.566.401,16

4. nulla ecclesia XXV parochiarum incorpor[atarum] renovata

5. non observatio statutorum de novitiatu

hanc humillimam petitionem dignam et justam declarant.

Teplá, 20. [Novebri] 1947.
Sigismundus Sudík
professus strahov[ensis]
A32
Protocollum

Hodie 25. Novembris 1947 in conventu Reverendarum Sororum a S[ancta] Cruce in Cheb convenerunt Illustrissimus Dominus Hubertus Noots, Abbas Generalis Ordinis Praemonstratensis, Reverendissimus Dominus D[octo]r Bohuslaus Jarolímek, Abbas Strahoviensis et Vicarius Generalis pro Circaria Bohemica, necnon Reverendissimus Dominus Petrus Möhler, Abbas Teplensis, atque sequentia statuerunt:
Siquidem Rev[erendissi]mus D[omi]nus Petrus Möhler gubernationem Abbatiae Teplensis exercere impeditur atque propositum habet opportuno tempore emigrandi ad Abbatiam Speinshartensem in Bavaria, ubi iam adsunt sui religiosi, sortem suae Abbatiae reponit in manus III[u]strissi]mi D[omi]ni Abbatis Generalis rogans, ut tamquam bonus pater existentiae monasterii Teplensis provideat.

Cheb, die 25. Novembris 1947.

+ Hubertus Noots
Abbas gen[eralis] O[rdinis] Praem[onstratensis]

Bohuslav Jarolímek Petrus Möhler
Abbas Strahoviensis Abbas Teplensis
A42
Reverendissimo Domino
Domino Bohuslao Jarolímek, O[rdini] Praem[onstratensi]
Abbatii Regiae Canoniae Strahoviensis
necnon Vicario Abbatis Generalis et
Vicario Visitatoris Apostolici pro
Circaria Cechoslovaccha,
Pragae

Munus Vicarii Abbatis Generalis et Delegati Visitatoris Apostolici pro Circaria Bohemica, quod laudabiliter exercuisti et modo competenter exerves, peculiarem Paternitati Tuae imposuit curam Abbatiae Teplensis, cuius conventus germanicus discedere debuit.

Visitationem regularem istius Canoniae modo faciendo consilia contulimus cum Rev[erendissi]mo Domino Abate Petro Möhler, nunc ab Abbatia absente, ut provideretur sorti domus Teplensis et ejus existentia pro Ordine servaretur. Reverendissimus autem Dominus Abbas Möhler documento subscripto die 25a Novembris 1947 renuntians gubernio Canoniae Teplensis, hujus sortem omnimode reposuit in nostras manus, i[d] e[st] Abbatis Generalis Ordinis. Hoc munus Nos obligat ad constituendum quamprimum Superiorem Regularem pro hac domo.
Quapropter Paternitatem Tuam Reverendissimam nominamus et constituimus loco Nostro Administratorem Abbatiae Teplensis cum omnibus facultatibus Superioris de regimine.

Datum Strahoviae, die 29a Novembris 1947.

(s.) + Hubertus Noots
Abbas Generalis O.Praem.
A52

Admodum Reverendo Domino,
Domino Leoni Moláček O[rdini] Praem[onstratensi],
Sacerdoti Canoniae Teplensis
Mariánské Lázně.

In Visitatione regulari modo peracta in Abbatia Teplensi evidenter apparuit insufficientia numeri Superiorum necessariorum, juxta Statuta nostra, pro gubernio istius Canoniae, necnon necessitas nominationis alicujus Religiosi pro officio Provisoris. Statuta enim nostra volunt quoad curam materialium, ut sit in manibus Religiosi distincti a Superiore, sub cuius dependentia hic officium suum exercere debet.

Quapropter Reverentiam Tuam nominamus Supriorem et Provisorem Canoniae Teplensis. Velis quamprimum assumere illa officia, ostendendo has litteras Admodum Reverendo Domino Priori Hermanno Tyl.

Datum Strahoviae, die 29a Novembris 1947.

Abbas Generalis O[rdinis] Praem[onstratensis]
A6
Pragae, in Monte Sion, die 29a Nov[embre] 1947.

Admodum Reverendo Domino,
Domino Hermanno Tyl O[rdini] Praem[onstratensi],
Priori claustralni Teplensi,
Klášter Teplá.

Admodum Reverende Domine,

Cogor jam Tibi scribere, quia, ut videtur, nec quae dixi vis intelligere, nec oboedire scis.

1. Vix die 25a h[uius] m[ensis] eramus apud Abbatem Möhler, quando illuc pervenit emissarius Tuus apud Rev[erendissi]mum D[omi]num Abbatem Jarolímek cum mandato, quod demonstrabat tum inclinationem ad continuandam agitationem quam Tibi exprobravi, tum defectum prudentiae et animi aequilibrii, quae dispositiones adeo necessariae sunt pro Superiore.

2. Et modo pervenerunt huc duae epistolae anonymae ex parte Tuorum operariorum Slovacorum (evidenter isti qui verbum coram me fecerunt), quas Tu potuisses preevenire, et quae magis adhuc demonstrant methodum Tuam, qua Superioribus Tuas voluntates imponere intendis atque determinationem solum Tuum sensum non aequilibrium sequendi. Hae litterae demonstrant Te operariis exposuisse (et quidem non recte), quae uti Abbas Tuus Generalis et Visitator Apostolicus Tibi dixi et quae res sunt, quae unice ad gubernium Ordinis pertinent atque non alteri fuerunt dictae. Demonstrant etiam Te injustissime persequi et aggredi, uti oretenus Tibi jam dixi, Rev[erendissi]mum D[omi]num Abbatem Strahoviensem, qui ipse ab initio et ante Tuum adventum conservandae Abbatiae Teplensis curam gessit. Verosimiliter non ausus es me exprobationibus Tuorum exponere, quamvis ego et quidem solus decisiones faciendas habeam, sed voluisti uti occasione, ut Reverendissimum Dominum Abbatem Strahoviensem opprobriis afficeres. Mihi etiam visum est Te continuo uti anteriori antipathia inter Teplam et Strahoviam, ut personam Tuam tamquam vindicem et defensorem Abbatiae Teplensis ostenderes atque in Tuum favorem patrocinium Rev[erendissi]mi D[omi]ni Abbatis Strahoviensis amovere posses. Haec opinio etiam a Sororibus me visitantibus agnita fuit.

Putasne me adeo ingenuum aut stultum esse, ut rationem Tuarum actionum non perspiciam? Visne pessum dare illud meriti, quod Tibi acquisivisti?

Faveas bene considerare, quod Te respondere faciam de quocumque detimento vel tribulatione, quae Ordini accidere deberent.

Tu optime scis quod diximus Te remansurum esse in monasterio, et quidem uti Prior secundum litteras Rev[erendissi]mi D[omi]ni Abbatis Strahoviensis N[umerum] Exh[ibitum] 179/46/Vg. 17 diei lae Martii 1946, sed non ut Administrator, quia Tibi omnino desunt, saltem hucusque, dotes in Superiore de regime necessariae. Scis etiam, ut Tibi soli dixi, quod R[everendus] D[ominus] Žurek non potest remanere in Abbatia Teplensi propter rationes, quae meum officum respiciunt et de quibus nec Tu, nec R[everendus] D[ominus] Žurek, et minus adhuc illi seditiosi Slovaci judicare debent. Repeto: quamprimum conditiones salutis illud permittent, R[everendus] D[ominus] Žurek a Teplá discedere debet, et nolo, ut ipse habeat ullum influxum in personas et res Teplenses.

Valde doleo, quod Tibi debeam haec scribere, et magis adhuc, quia adeo male uteris eximiis dotibus, quibus Deus Te ornavit et quae possent Te facere membrum meritorium Ordinis nostri.

Interea Te benedico et remaneo

devotus in Christo

Abbas Generalis O[rdinis] Praem[onstratensis]

A7

Admodum Reverendo Domino

Hermannu Tyl

Priori claustralni

Teplae

Admodum Reverende Domine,

Responsio, quam ad recentem nostras litteras subscrisisti, ad nos pervenit atquae augebat opinionem, quam de Te habuimus. Hoc nostrum judicium ulterius crevit, quando modo audivimus Te propria auctoritate declarasse aut nominasse A[admodum] R[everendum] D[ominum] Leonem Moláček Directorem Generalem bonorum Teplensium contra nostras auctoritativas dispositiones, quibus idem Reverendus Dominus Moláček, nominabatur Supprior et Provisor Teplensis, quin aliquid mutaretur circa Concilium oeconomicum nationale vel delegatum Inspectorem generalem.

Quare, dum declaramus Tuam supracitatam declarationem vel nominationem esse invalidam, velis hoc notificare quibus competit et ita omnem confusionem auferre.

Quare etiam hisce iterum declaramus Te esse Priorem Claustralem Teplensem et nihil aliud, idque iuxta regulas Statutorum nostrorum et jam non uti antea Tibi scriptum fuit, habenam facultates Prioris Abbate impedito. Et iterum dico Te substare in omnibus Rev[erendissi]mo Domino Abbatii-Administratori Bohuslao Jarolímek, nostro Vicario in Circaria Bohemica atque delegato Visitatoris Apostolici.

Deus mentem Tuam illuminet, voluntatem ad oboediendum roboret et Tibi benedicat!

Jasoviae, die 14. Decembbris 1947.

A82

Modus vivendi relata ad Abbatia Teplensem.

1. Declarantur facta et a partibus acceptata: Rev[erendissi]mus D[omi]nus Petrus Möller, Abbas Teplensis, Abbatiam cum omnibus, quae ad eam pertinent, in manus Illustrissimi Abbatis Generali remisit, dum ipse se retrahit cum sua Communitate in Germaniam.

2. Abbas Generalis, de licentia et auctoritate S[anctae] Sedis, erigit in Monasterio Teplensi novam Communiteatem nationis Bohemicae, huic tradens plenum usumfructum domus omnimque bonorum, quae ad Abbatiam Teplensem pertinent. Donec aliquando cessio Canoniae sequeretur, haec nova Communitas est igitur depositaria quasiproprietaria illarum possessionum, quae sese obligat fideliter iuxta scopum fundationis et modo boni partisfamilias administrandi. Si aliquando conditiones nationales et confines politici iterum mutarentur et quidem ita ut Communitas Teplensis cedens ex Germania redire posset et vellet, nova Communitas sese obligat illi locum cedendi secundum fraternalis conditiones et sub auctoritate Abbatis Generalis, qui depositum accepit.

Quare utiliter fieret in praesenti inventarium generale rerum materialium.

3. Cum facultatibus S[anctae] Sedis Abbas Generalis nominat Abbatem-Administratorem huius novae Communitatis Teplensis Rev[erendissi]mum D[omi]num Bohuslaum Jarolímek, Abbatem Strahoviensem et suum Vicarium, qui ut verus et immediatus Superior Abbatiam gubernat in spiritualibus et temporalibus et qui coram Abbe Generali de peractis respondere debet.

4. Quattour membra prioris Conventus Teplensis poterunt transire ad hanc alteram Communiteatem vel huic servire sub oboedientia Rev[erendsissi]mi Abbatis Administratoris uti Vicarii Abbatis Petri Möller.

Thermis Marianis die 2. Januarii 1948.

+Bohuslav Jarolímek + Hubertus Noots

Abbas Strahoviensis Ab[bas] gen[eralis] O[rdinis] Praem[onstratesis]

Administrator abb[atiae] Teplensis

A9

Documentum

Litterae autographae

Suae Sanctitatis Papae Joannis Pauli II

occasione iubilaei Circariae Bohemicae

Ordinis Praemonstratensis

REVERENDO ADMODUM PATRI

MARCELO VAN DE VEN

CANDIDI ET CANONICI ORDINIS PRAEMONSTRATENSIS

ABBATI GENERALI

Perlongo in eorum sodalium religiosorum agmine, qui Europam Evangelii nutrio imbuerunt eiusque simul cultus humani patrimonium effecerunt, peculiarem prorsus obtinet locum Canonicorum Regularium Praemonstratum Ordo. Nocte ipsa Christi Domini natalis anno millesimo centesimo vicensimo primo, in Praemonstrati solitudine, ortum Sanctus Norbertus antiqui ordinis canonici dedit novae communitatit, cuius celeriter rami in Medium usque Europam sunt deinceps propagati. Ipse Sanctus Norbertus, ingressus vestigiis decessoris nostri Pontificis Sancti Gregorii Septimi, suis addidit filiis apostolicum illum impulsu cuius etiam hodie Ecclesia omni in terrarum parte colligit uberes fructus.

Vester hod ipso anno commemorat Ordo memoriam anniversariam octingentesimam et quinquagesimam conditi in Bohemia Pramonstratensis instituti initiumque simul eius Media in Europa evangelizandi operis. Haec iubilaris recordatio totum sane per Ordinem obibit, at in abbatis maxime Strahov, Teplá, Želiv, Nová Říše et Jasov, quarum nuperius sunt redintegratae communites. Magna nos cum observantia quin et admiratione religiosos consulutamus sodales qui suam in Christum fidem nihil testificari dubitaverunt suamque erga Sedem Apostolicam fidelitatem in periculo sepius vitae versantes hos plus quadraginta quinque dispersionis ac vexationis annos. Haud vero frustra eorum fuerunt sacrificia, quoniam inde sunt novae exortae vocaciones.

Impendente iam tertio millennio suam semper praestantiam retinet utilitatemque Sancti Norberti propositum. Vestrarum in Europa Media communitatut ad vitam revocatio coniuncte cum nova continentis totius orbisque ipsius evangelizatione evenit. Fervor ille novus quo vos incendimini reddit vicissim vos Christi resuscitati paecones Evangelii, Boni Nuntii illius quod fecundam pae se fert vitam libertatemque veram. Perinde ac Sanctus Conditor vester, novas vos vias aperite quibus hominum animos et mentes, mores et artes evangelica ingrediatur doctrina, quibus dominatione liberati populi Christum complectantur Redemptorem. Eodem hoc concitati studio pernecessaria renovationis elementa societati hominum paebet; memoriam Europae conscientiamque exsusitate et partes similiter vestras in cultum exstruendum Amoris conferte.

Vobis quidem exoptamus universoque Praemonstratensi Ordini ut haec iubilaris commemoratio renovationis pulcherrimum tempus importet novique etiam frugiferi apostolatus principium. Quod quidem ut exoptato contingat, haurire debetis ex patrimonii spiritalis vestris divitiis, complendo in vita vestra Sancti Norberti charismaticum munus, vestram votis vestri corroborando fidelitatem. Antiqua vestra ac veneranda restaurantes coenobia, operam sedulo dabitis

in primis ut restituatis precationis atque apostolatus communites, quae plus octo saecula sedes fecunditatis luminisque fuerunt.

Professione sua religiosa, quae etiamnum vestra est, notionem suam ac optimae vitae speciem declararunt Sanctus Norbertus primique eius discipuli. Ad effectum scilicet deducere voluerunt « Evangelicam Institutionem » ipsam, simulque passim praedicare Evangelium bona huius mundi reicientes, quem ad modum apostolis praeceperat Dominus. Ordinis vestri finis ac propositum suam nunc quam maxime retinent necessitatem et excellentiam. Cunctas vires huc proferte vestras impavidо illo animo quem Christus unus vobis addere potest. Suam saepius aetatis huius nostrae homines metam viamque amiserunt. Discrimen praeterea ipsum, in quod tradita vitae, pietatis ac fidei bona conciderunt, indefensa ea deserit ante novas provocaciones, quibus celerrimi societatis progressus eadem obiciunt. Sermone igitur vestro vitaeque singularis et communis vestrae testificatione amorem Christi atque Ecclesiae hodiernis hominibus infundite. Voluerunt vestri maiores, « Institutioni Apostolicae » ipsi tam fideles, unamquamque Praemonstratensem communitatem formam repraesentare pristinae illius Hierosolymitanae congregationis institutae circum apostolos et Iesu Matrem. Consiliorum professione evangelicorum vestroque stabilitatis voto ministerio devovemini apud aedem abbatialem vestram ut inibi sollemniter liturgia sancta persolvatur, ut inde universae lingua Ecclesiae ad Deum sursum ascendat, ut illuc suum circa Dominum Iesum Christianus advocetur Populus. Utinam Abbatiae vestrae ac Prioratus, paroeciae quoque ac monialium etiam domus opus illud munusque continuus dilaudetur et facilius aequales nostri inter vos benevolum refugium, promptam serviendi voluntatem, studium semper reperiant apostolicum. Coenobia convertite vestra in domos precationis et fidei scholas cunctis bonae voluntatis patentes hominibus.

Cum conderet Praemonstrati communitatem, praestituit Sanctus Norbertus Sancti Augustini regulam, cuius prima praecepta propriam communitatum vestrarum efferunt indolem: « Primum propter quod in unum estis congregati ut unanimes habitetis in domo et sic vobis anima sua et cor unum in Deum » (I, 2). Innititur Dei amori Augustiniana domus necnon Ipsum melius usque cognoscendi aviditati, unde melius possit amari. Cordis ea simplicitatem postulat mutuamque caritatem, fraternalum adiumentum animorumque coniunctionem, dum unum illud necessarium inquiritur. Eiusdem vero caritatis fons et finis apostolatus omnis exstat Eucharistia. Haec nimur causa est quamobrem Sanctus Norbertus Eucharistiae celebrantionem in media quoque communitate culmen esse voluerit universae conventionalis vitae. Commemorat hoc nobis Praemonstratensis abbas Philippus a Bona Spe: « Ne autem (Ecclesia) huius itineris labore defatiscat, habet non mediocre munimentum, dum in thesauro suo corporis Christi salutare conservat sacramentum; quod dum intra se videtur conservare, ipsa potius ab eo conservatur » (PL 203, 669).

Una denique cum Sancto Norberto, amantissimus qui Virginis Mariae fuit filius, renovationem communitatum vestrarum et Ordinis vestri vocaciones, quin immo totum apostolatum vestrum et universam Ecclesiam Redemptoris creditore Matri. Prima enim suscepit Verbum Maria quod omni traderet orbi: vestras utinam communitates ardentes efficiat evangelizationis novae focos!

Consonantes hisce Nos sensibus affectibusque nominativi in primis cum sodalibus Praemonstratensibus Mediae Europae suas peragentibus anniversarias multiplices memorias, confirmamus erga cunctum Ordinem Praemonstratensem Beatissimi Petri fiduciam amoremque Successoris ac singulis vestrum ex animo gratulantes elargimur Aposotolicam Nostram Benedictionem.

Ex Aedibus Vaticanis, die VII mensis Maii, anno MCMXCIII, festivo pariter die Sancti Norberti Translationis in abbatiam Strahov.

Joannes Paulus II